

lata inuenitur; sed angustum temporis spatium diffusio-
 enodationem prohibet. Qui plura de iis legere cupit, ei
 Cl. BEHRENS in egregiis suis *Selectis diaetet.* et alii Au-
 ctiores diaetetici satisficient. Progrediendum nunc est ad
 NOXARVM ex iusto copiosiori horum potulentorum as-
 sumptione, siue POLYPOSIA, ortarum *enumerationem.*

§. XIII.

Potus assumendi quantitas in praesenti determinanda es-
 set; sed haec determinatio generalis sc. quae omnibus indi-
 uiduis competit, non solum ardua, uerum etiam dubia est res.
 Quot enim hominum reperiuntur subiecta, tot etiam in suf-
 ficientis potus assumptione differentias obseruabis. Quid enim
 consuetudo in hac re non ualet? quid educatio, quid regio,
 in qua uitam incolae degunt, quid uitae genus? &c. Minima
 itaque harum circumstantiarum uariatio intoto determinatio-
 nis negotio mutationem facile reddit. Nonnulli Medici tri-
 plicatam inter cibos solidos et fluida assumenda rationem
 obseruandam esse putarunt, et hoc quidem ex fundamento,
 quia plerumque hanc rationem inter fluidam et solidiorem
 sanguinis partem inuenerunt. Sed et hic multum differt
 homo ab homine, quamquam utrique utcunque sani se ha-
 bere possunt, u. g. cholericus temperamenti homo non ea-
 dem partis aquosioris in sanguine gaudet quantitate, qualem
 temperamenti phlegmatici indiuiduum alit. Sanguini-
 nei sanguis a melancholico rursus discrepat. Pari modo
 concludendum est, de ceteris temperamentis ex prioribus
 mix-